Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2369
Quelle:
Copyright:

audiui ab vno ſcito fratre minori. Extat ille etiam in *Bibl. PP. l. cit.* ad F. *Bertholdum* directus, cujus nomen a *Cod.* noſtro abeſt. Incipit: *Deſideraſti a me frater kariſſime, ut aliquid ſcriberem tibi ad edificationem* &c. Opus vero ipſum: *Primo ergo ſemper debes conſiderare ad quid veneris* &c. *Fol.* 83. p. 2. ſuccedit Pars altera: *Incipit formula nouiciorum eiusdem de interiori homine.* Initium: *In priori formula nouiciorum quam tibi nouicio ſcripſi* &c. Extat *Bibl. PP. ſuprac.* p. 881. Utramque retulimus etiam alibi.

VI. *fol.* 113. *Tractatus de horis Canonicis vtilis et bonus pro clericis.* Incipit: *Septies in Die laudem dixi tibi. In pſalmo. Quamuis Deus in omni tempore a nobis ſit laudandus* &c. An ad *Henricum de Haſſia* referendus ſit, dubium movimus *Cod.* DLXXX. Ceterum jam etiam *Codd.* aliis adlatus.

VII. *fol.* 120. Lectiones Libri *Job*, quae in *Officio Defunctorum* recitantur, ſed loco ultimae poſita eſt Lectio I. *ad Corinth.* C. XV. v. 19. Omnibus addita Expoſitio, et calci adjectum: *Et ſic finis Deo gratias finitum in octauo paſſche.*

DCXX.

Codex membraneus lat. Sec. 829
XIV. Folior. 77. 8. nitide perſcriptus, rubricis diſtinctus et quondam *Fratrum Carthuſienſium domus montis Sancti Beati prope Confluentiam* pium Opuſculum dialogicum eſt, rhythmis incluſum, quo Amici duo *Senior* et *Junior*, interloquente etiam Chriſto et Virgine Deipara, hujus et Filii ejus Vitam percenſent, inſignitum *Speculum Amoris*, cujus *Prologum* ſubjicio:

Fuerunt duo ſocij in habitu clauſtrali.
Qui omne tempus ocij feruore ſpiritali
Redimentes dulciter deo ſeruiebant.
Cuius iugum iugiter cum gaudio ferebant.
De rebus ſpiritalibus crebro colloquuntur.
Studijsque talibus mutuo paſcuntur &c.

Rogat igitur Junior Seniorem, ut materiam ſupra dictam auſpicetur, quem et conſentientem habet.

Deo dante faciam que ſuggeris dilecte
Tu implora gratiam que ducat me directe &c.

Totum Colloquium IV. *Diſtinctionibus* tranſigitur, et hunc finem habet:

Ecce